



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 10. De Bessarabiâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

giam operam Turcæ nauant in bellis. Hic multi nobiles , quos Vaiuoda habet ad manum. Seditiosi habentur , & in Principem parum fideles. Eodem modo cum Valachis vxores tractant , qui buscum & ritu Græco , & idiomate concinunt. In eo autem multæ voces Italicæ arguunt eos origine Italos esse , ut diximus in Valachiæ nomine.

NVM. 4. *Politia.*

VAIUODA se Regem Moldauiæ nominat , & olim pendebat ab Hungaro , à quo cōfirmabatur selectus à Moldauis. Nunc ad Turcas transit cui tributi nomine pensitat ferè 200. librarum Franciarum millia , cum 500. equis pulcherrimis , & 300. falconibus selectis. Olim Princeps armabat 60. equitum millia , hodie vix 20. virgente tamen bello 50. millia posset educere. Filius siue legitimus , siue nothus succedit patri , & priūm natus signatur eandente ferro. Bassa Moncastrensis , vulgo de Bialogrod , prouidet ne prouincia illæ rebellent , quasi Cosakorum metu , ideoque sibi conficit 100. Sultanorum millia , verbo in regionis tutelam , reuerâ in Turcicam rapinam.

§. 10. *De Bessarabia.*NVM. 1. *Nomen.*

VNDE extiterit vox illa incertum : nisi à Bessis , qui huc immigrarunt. Certè eò peruersisse Arabas suspicamur ex Bulgarorum facto cuius meminimus in Moribus Bulgarorū. Eam quoque apud Calcondylam dici Istriam non improbabiliter aliqui suspicantur.

NVM. 2. *Qualitas.*

REGIO hæc fertilissima , in quâ nihil deesset , etiam ad vitæ delicias , nisi in eâ Tartari degerent , hanc Cosaki infestarent , hostes & hospites ex æquo metuendi.

NVM. 3. *Mores.*

HIC Tartari viuunt more suo , hoc est laeti , & carne equorum suorum. Aspectu terribiles sunt , & iis sæpe vtitur Turca non tam ad pugnandum , quam ad inferendam in hosticum vastitatem ; & ad augendum terrorem , hos vocat Præcopitas.

Qq ij

N V M. 4. *Politia.*

OLIM Palatinus Multauicus huic parti imperabat, sed inter duos fratres se^tetus est Principatus. Nunc omnino Turcis subdita est Beslarabia, & per Bassam Monastrenscim administratur, estque quasi Acropolis quā Valachi, Moldaui, Transyluani in officio continentur.

§. II. *De Transyluania.*N V M. I. *Nomen.*

NOMEN ei impositum à syluis, quibus ferè vndequaque prætingitur, ab Hungaris *Erdel* dicitur, à Germanis *Sibenburgen*, à Slavis *Siedra Gradika Zitmla*, quæ voces *septem castra* significant à 7. vrbibus quas hīc Saxones incolunt. Eius quoque pars à Hungaris *Iazap*, dicitur dubio procul à Iazygibus Metanastis. Item & *CICVLI* in eius angulum compacti sunt, sic dicti à voce *Szekel*, quæ Scytham sonat; sūntque reliquiæ Hunnorū, postquam duo filii Attilæ Gentem ferè perdidissent, huc enim confugere, & ne malè multarentur ob superiores rapinas, & crudelitatem hoc sibi nomen imposuerunt, quia reuera erant origine Scythæ; atque phartrati *Scythiciis de finibus Hanni*.

N V M. 2. *Qualitas.*

REGIO supra fidem ferax, vini, frumenti, leguminum, omniūque fructuum. Auriferam regionem esse arguunt fluuij aurea ramenta deuehentes, item & massæ auri defracti quæ passim reperiuntur. Ex montibus eruuntur hydrargyrum, ferrum, plumbum, stannum, minium, calcanthum, sulphur, stibium, & marmor exquisitissimum. Mel quoque plurimum hinc egeritur. Equi velocissimi, qui & sine arte tolutim incedunt, egregiè criniti, & iubis ad terram defluentibus. Cerui supra modum proceri: uno verbo conficiam si dixero meritò ab Hungaris Thesaurum suum appellatam esse aliquando dum eā potiebantur.

N V M. 3. *Mores.*

CICVLI contrario motu ab aliis gentibus saltant, dextrum enim pedem primum promouent: litteris vtuntur in quibus aliquod vestigium cernitur Abyssinæ, Syriacæ & Hebrææ scripturæ.